Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ysa

non uidens & mei oblita es. Ego
annuntiabo iustitiam tuam & opera tua
non proderunt tibi. Cum clamaueris
liberent te congregati tui & omnes
eos auferet uentus tollet aura
Qui autem fiduciam habet mei hereditabit
terram & possidebit montem
sanctum meum & dicam. Viam facite
preterire iter. declinate de semita.
auferte offendicula de via populi mei.
Quia hec dicit dominus excelsus
& sublimis habitans eternitatem & sanctum nomen eius in excelso
habitans & cum contrito & humili spiritu. ut uiuificet spiritum humilium.
& uiuificet cor contritorum. Non enim
in sempiternum irascar. neque usque ad
finem irascar. Quia spiritus a facie mea egredietur. & flatus ego fa
ciam. Propter iniquitatem auaritie
eius iratus sum & percussi eum & abscondi a te faciem meam & indignatus sum. & abiit uagus meres
in uia cordis sui. Vias eius uidi &
sanauit eum & reduxi eum & reddidi consolationes eius ipsi & lugentibus eius. Creauit fructum labiorum
pacem. super pacem eius qui longe
est. & qui prope dicit dominus. & sanabo eum. Impii autem quasi mare ferbuens quod quiescere non potest. et
redundant fluctus eius in conculcationem & luteum. Et non est pax
dicit dominus deus impiis.

Et dicit dominus. Clama ne cesses. quasi tuba exalta uocem tuam & annuntia populo meo scelera eorum & domui iacob peccata
eorum. Me & eum de die in diem quaerunt & uias meas scire uolunt
quasi gens que iustitiam fecerit
& que iudicium dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitie
& appropinquare deo uolunt. Quare ieiunauimus & non aspexisti hu
miliauimus animas nostras & nescisti.
Ecce in die ieiunii mei inuenietur
uoluntas uestra & omnes debitores
uestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis & percutitis pugno
impie. Solite ieiunare statis usque
ad diem hanc ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est
ieiunium quod elegi. per diem affli
gere hominem animam suam. Numquid
conteqere quasi circulum capitis sui.
& saccum & cinerem sternere. Numquid
istud uocabis ieiunium & diem acceptabilem domino. Nonne hoc est ma
gis ieiunium quod elegi. Dissolue
colligationes impietatis. solue fas
ciculos deprimentes. Dimitte eos
qui confracti sunt liberos & omne
onus diruppe. Frange esurienti
panem tuum & egenos uagosque induc
in domum tuam. Cum uideris nu
dum operi eum & carnem suam ne
despexeris. tunc erumpet ut mane
lumen tuum & sanitas tua citius ori
etur. Et antecibit faciem tuam iusti
cia tua & gloria domini colliget te
Tunc inuocabis & dominus exau
diet. clamabis & dicet. Ecce assum.
Quia misericors sum dominus deus
tuus. Si abstuleris de medio tui